Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Ord. Philos.
1642 5.

75

Młodnicki Alexandri: Epidosis primae laureae ab Alma Academia ingenuis adolescentibus etc

EPIDOSIS
PRIMÆ LAVREÆ
AB
ALMA ACADEMIA
Ingenuis Adoleſcentibus
optimis Iuuenibus,
Per EXCELLENTISS.
D. M. ALBERTVM WOYTOWICKI,
Coll. Minorem quà ingenio, quà
doctrinà Præſtantiſsimum
d. d. c.
DECANATV
EXCELLENTISS. D. M.
STANISLAI WIECZORKOWSKI,
Coll. Minoris. Viri conſilio, prudentiâq;
ornatiſsimi.
OPERA
ALEXANDRI MŁODNICKI, eiuſdem
Laureæ Candidati.
Amoris ergo,
Anno à partu Virginis. CIↃ IↃCXLII. 1642

CRAC. Typis in Officinâ Valeriani Piątkowſki.

IN STEMMA INCLYTVM.



ALtiuolans ales perpetim tendit in altum,
Depreſſum neſcit namq; tenere locum,
Clarus OPATOVIVS celſum tranſcendit olympum,
Occurrunt quando candida ſpectra ſibi.
Clareat, immenſos valeat viuatq; per annos,
Perdoctæ Matris, Palladis atq; nitor.

Martinus Malinowſki, Stud. Poeſeos.

Perillustri ac Adm. Reu. Domino,

D. ADAMO OPATOVIO,

S. Theologiæ Doctori & Pofessori, Canonico Cracouiensi, &c.

D. & MECAENATI FAVENTISSIMO.

NEscio morene aliquo laudabili comparatum, an naturâ parente omnium benignissima inditum habeant, homines ratione & oratione pollentes, Perillustris Domine, vt nihil sibi rebusq; suis boni ominari, nihilq; præclari polliceri audeant, tutela & protectione alterius destituti. Iam enim & præstantissimus in Repub. Princeps, ditissimus Ciuis, pauperrimus villanus, non tantum sua pro parte amicos conquirunt, sed etiam filiolis suis vagientibus immò vix in lucem emissis Protectores, & quasi alios Parentes perquam studiosè ac curiosè contendunt comparare. Iam & ingeniosus Poeta, & eloquens Orator, & subtilis Philos: & profundus Theologus partum ingenii sui non prius luci publicæ consecrat, donec alicuius Mecænatis patrocinio illud munitum conspiciat. Quod si ita est Perillustris & Admodum Reuerende Domine, minime à vestigiis eorum aberrabo cum hunc laborem meum perexiguum Tibi Perillustris Domine ad officiosam grati animi significationem, in hoc florentissimo hospitum doctissimorum confluxu, summa cum animi submissione putaui consecrandum. Et dignum atq; conueniens est, vt Tu huius laboris sis Patronus, cuius gratia assidua tædia suscipiebas, in distribuendo

illo beneficio quod beneficus noster Mecænas, nostrum ornamentum, nostrum vnicum refugium Sebastianus Nucerinus est elargitus, qui iam proch dolor ex hac vitæ statione, non sine omnium lachrymis ante aliquot annos excessit, & ad Sanctorum consortium fælicissimè migrauit, cum quibus vt æuo perfruatur sempiterno Diuinam Maiestatem tenemur exorare. Atque vtinam aliquando illa dies illucescat, quæ tantam mihi ingenii fælicitatem, tantam dicendi facultatem adferat: vt Tuorum beneficiorum honorificam possem instituere prædicationem. Hæc enim siue spatium præteriti temporis inspexero siue præsentes dies examinauero, tanta sunt vt ea disertissimus quisque non dico explicare dicendo, sed vix posset recensere numerando. Non ego hic vela dictionis meæ expandam ad enumerandos eos, quos summâ complecteris gratiâ, mirâ promoues industriâ, largissimis foues beneficiis: tacebo & illos, quos singulari amore protegis, incredibili authoritate tueris, summâ prudentiâ foues: Verecundo præteribo silentio alia sexcenta, quibus nihil potest esse posteritati admirabilius, nihil ad laudem Tui nominis illustrius, nihil ad virtutes conuenientius prædicandas. Vereor enim ne id mihi accidat, quod Empedocli Agrigentino monumenta literarum testantur accidisse, qui dum lacum Æthnæ montis inuestigare contenderet ab igne eiusdem miserrimè est consumptus, vereor inquam ne dum in spatiosissimo laudum Tuarum Oceano spatiarer, magnitudine earum oppressus succumberem. Rem in compendium contraho, siue munificas Tuas largitiones introspexero, beneficus Alexander, siue immensos labores, laboriosus Lysias, siue admirabilem patientiam, patiens Lysimachus; siue incredibilem prudentiam, prudens Epaminundas merito es nuncupandus. Hoc superest Perillustris & Admodum Reuerende Domine, vt hoc munusculum gratanter oblatum è conspectu Tuo non eicias sed illud vultu benigno, facie

serena

serenâ inspicias, & acceptes. Ego verò immò nos omnes, qui laboribus Academicis nos, vitamq; nostram consecramus, vouemus DEVM Opt. Max. votis supplicibus nos rogaturos vt Perillustri & Admodum Reuerendæ Dominationi Tuæ dies serenos & auspicatos quàm plurimos largiatur, vigorem animi ac corporis adaugeat, faustam deniq; prosperamq; quam diutissimè efficiat incolumitatem.

Perill. & Adm. Reu. Dnis Tuæ

Infimus & obsequentissimus Cliens

Alexander Młodnicki,
Eiusdē Laur. Cand.

Magn. ac Adm. Reu. D. RECTORI.

GRandibus ora rigas cur o Academia guttis
Et largo pulchrū cur madet imbre caput ?
Ferreus ille foret, qui cernens funera nostra
Non mittat lachrymas, tristia corda gerens.
Non mæstos tristis recinas Academia cantus
Cum tibi sint clari, nomine req; viri
Forte tibi præsto VSTINIVS tutamen adhæret.
Doctrinæ radiis totus vbiq; micans
Hoc tu perpetuo clarebis sceptra tenente,
Extabis Cracii luxq; caputq; soli.
Clarebunt artes creuit quibus aurea virtus
Et barathri fugit cæca sub antra nefas
Ergo ne lachrymis conspergas funera mæstis,
Alma parens ? lætum ast, incipe læta melos.

Excell. ac Doctiss. DD. EXAMINATORIBVS.
Excell. D. DECANO.

NOn est magnificis miles cur pestifera arma,
Laudibus exornet seuaque castra sua
Ingenium potius Wiecorkouii efferat ille
Cui multum semper doctus Apollo fauet.

Quem

Quem facile ingenium, mores, et lingua soluta,
Laudat amor veri, cum pietáte simul,
Audiit hunc toties certatim gnaua iuuentus,
Soluebat quando, nobile dogma frequens.
Audiit, et pondus voces habuere loquentis,
Ingenii virtus quas sibi certa dedit
Dignus es vt Pario teneas in marmore nomen
Viuax, quodque terat nulla senecta tibi.

Excell. D. IOACHIMO SPERONOWIC.

EXimium Mater tenuit semper decus, alma,
Multò nobilius nunc scio nacta tener,
Illi cũ clarus propius SPERONOVIVS adstat,
Artes cûi largè docta Minerua dedit.
Felix quem Phœbus blandis aspexit ocellis.
Solers condonans & docile ingenium.
Quid tibi nunc referã Sophiæ qui culmen insti
Corporis ac animi dotibus eximii.
Det tibi cuncta bonus quæcunq; Patrone mereris,
Quæq; tibi poscunt pectora nostra, DEVS.

Excell. D. IACOBO SVSKI.

O Quicunque cupis vigilem clarumque videre
Huc properes queso, conspiciesque virum.
Talem

Talem monstrabit tibi prestans turba Sophorum,
Et dicet, clarus SVSCIVS, ecce manet
Jam maneas clarus, cunctorum tempus in omne,
Applausu: nobis perge fauere diu.

I. V. D. BARTHOLOMAEO SOSZKIEWIC.

NVnc dulce pæan promite carmine
Implete cantu maxima pergama,
Vos qui Camænarum cohorti,
Splendida nomina consecrastis.
Pulsate terram nunc pede dextero,
Suaues & hymnos æthera concinent
Nnnc sint canorâ voce plena,
Plausus eat redeatq; cælo.
Lustrate clarum Soszkievium decus,
Cum prospero iam nomine & omine,
Perferre vobiscnm labores,
Percupit ecce simul libenter.
Laurum tenet iam claraq; præmia,
Immensus eius quæ meruit labor,
Moresq; digni claro olympo,
Hoc amor, hoc studium Mineruæ.
Ergo celer nunc i pede prospero,
Externa lustres inclyta pulpita
Ac exedras iam scande fælix,
Delius hoc tibi comprecatur.

II. V. D. ADAMO KASVBSKI.

LAEta nouenarum depromit turba ſororum,
Dulciſonas voces pectore mellifluo.
Muſarum preſes doctarum doctus Apollo,
Barbiton en mulcens pectine pulſat ouans.
Dum cernit ſertum pulchram prenſare phalangem,
Quę ſtatuit multum docta lycęa ſequi.
In cuius numero vt conſpexit te eminus vnum,
Dulcia mox tandem gaudia mente capit.
Haud tua diſplicuit ſemper conſtantia firma,
Illi: cum ſtudii tędia longa feres.
Cum ſine perdulci ſomno nocteſque dieſque,
Exciperes: torquens membra tenella tua
Tentabis felix ſublimes ſemper honorum,
Sellas, namquè modos laurea mille dabit.
Hęc decor, hęcquè tuum auxilium fietque leuamen,
Caſibus in multis, hęc dabit ipſa bona.
Cynthius ecce ſibi gratatur pectore toto,
Kaſubſki et dicit, viuere perge diu.
Viuere perge diu dicunt hoc pectora noſtra,
Hoc iterum genitrix, percupit ecce fauens.

III. V. D. FRANCISCO TRZECIAK.

NOn ſolus altâ dignus adoreâ,

B Et lau-

Et laude primâ, qui graphio, decus
Depinxit AEneæ nitenti.
Aſt etiam meritos honores,
Miles diſertæ Palladis inclytus,
Nunc nunc reportat, qui facilis manet,
Victor, triumphali coronâ,
Dignus adeſt geminâq; laude.
Comprende lætus munera maxima,
Pulchriſq; multos vincito moribus,
Vinces ſecundis id docere;
Geſtiit auſpiciis, Apollo.
Cùm munus offert Trzeciakoui tibi
Pulchrum, Triumpha, proſpera, ter quater,
Proles, & annos duc ſecundos,
Neſtoris aut Pilii ſenilis,
Virtus celebris ſit decor artium vt,
Quamuis remotos ad Syrios feras
Greſſus tuos, Belgas feroces,
Fama comes decus atq; fiet.

IV. V. D. IOANNI BERKOWSKI

NVnc nunc lętitię ſonos,
Mittas Berkouii lętus ad ęthera.
Ӕxtollas Academiam,
Serto quę viridi te ornat Apollinis.

Iam

Jam clarebis honoribus ,
Clarebis titulis hoc duce prǫuio.
Stellas inter vti aureus,
Sol, interque velut ſydera Cynthia.
Vitâ clarior omnibus,
In terris placidè tempora tranſigas.
Virtus Memnoſynon tui,
Fiet, dum radios Cynthius aureos.
Sparget, per iuga montium,
Celſorum nitidus. Poſco dies bonos,
Lętus ducito proſpere.

V. V. D. IOANNI PIECHNIKOWIC.

SI Tyros felix manet & ſuperba,
Aureis circum bene cincta portis,
Siq́; Eous nobilium vnionum,
Fautor & author.
Hebrus auratas retinens arenas ,
Si omnium votis celebres habentur,
Nec frui quidquam omine lætiore,
Poſſe putatur.
Paſsibus, quam te ſuperaſſe dicam,
Plurimis hos, Piechnikoui ſtupende

Cum tibi Mater dedit in coronâ
Ire virenti.
Scito te ſemper faciet perennem,
Plurimos annos dabit & videre,
Nulla conſument rapientq; ſæĉla,
Hoc decus almum.
Ito iam fulcrum ſenii Parentum.
Ito & immenſos numerato, dexter,
Comprecor menſes, atriâ alti olympi,
Scandito poſthac.

VI. V. D. IOANNI ZALESKI.

QVid victor mentem duro mȩrore fatigas,
Triſtitiȩ tribuis quid generoſe locum.
Larga parens magnos tibi iam largitur honores,
Largi loquumq; ſimul te fore blanda cupit.
Hocce tuum nomen ſlorebit flore roſarum,
Pulchrius: ergo iam triſtia pelle procul
Triſtia pelle procul teneas cum maxima dona,
Quȩ clarum cupiunt reddere quemque virum
Reddent (ne dubites) te, adſit modo prona vo-
Ingenii cultus prȩſto ſit, hicq; frequens (luntas.
Exuperat voces auium philomela ſuaui,
Cantu: quo tangit, ſydera clara poli.

Moribus ingenuis multos pietate pręire,
Artibus et poteris tu ſuperare tuis.
Ergo iam lętam Zaleſki ſumito mentem,
Et lauro cinctus tempus in omne viqe.

VII. V. D. SEBASTIANO CLAROWIC.

QVantum lætificat dum caput exerit,
Phœbus pernitidum ex æquoreis aquis,
Mundi climata noſtri,
Luſtrans lampade candida.
Flores purpureos ipſaq; gramine.
Pulchro: tum foliis prata nitentia:
Quantum cultor agelli,
Gaudet perpetuum Deum,
Alternis vicibus ter quater efferens,
Maturis proprium pingue ſolum videns,
Exalbeſcere ariſtis,
Meſſem præſtò ſibi vouens.
Tantæ lætitiæ nunc Academia,
Dat ſignum; aſpiciens te ſtrenuum virum in,
Caſtris doctiloquorum,
Et fuco ſine militem.

Ergo

Ergo iam tribuit debita præmia,
Lauro cum viridi Clarouii tua,
Cingit tempora pulchra,
Magno non ſine gaudio.

VIII. V. D. ANDREAE ZVCHOWSKI.

FÆlices nimium putantur ęqué.
Hi qui caſtra colunt nouem Sororum,
Tales perpetuò vigent vigebunt,
Moles magna ſoli beatiores,
Quos complexa tenet ſinu benigno,
Vnquam conſpiciet: DEVM ſupremum,
Terrę principium polique ſummi,
Laudabunt, ſine fine et vltra et vltra.
Lętus iam maneas precantur omnes,
Fęlicem fore te ſimul beatum.
Fęlix et Pilios vige per annos.
Optant Zuchouii bonum omen hocce,
Lętus ſumito: tutus et per omne,
Tempus viuito ſinguli precamur.

AD LECTOREM.

SI quid conſpicies mendoſi Lector amande,
Ingenii ſupple dexteritate tui.

IN STEMMA ACADEMICVM.



Est pulchrum pietas vbi floret iuncta labori,
His opreſſa mali viſq; doluſq; gemit.
Nutrix ingenii hoc Academia ſeruat vtrumq;
Illius clarum quod benè ſtemma notat.

SVB
Felicibus Auspiciis,

Magnifici & Adm. Reuerendi D.

D. IACOBI VSTIENSIS,

S. T. & I. V. D. Collegiatarum Ecclesiarum S. FLORIANI Clepardiæ, & S. GEORGII in arce Custodis, Almæ Vniuersitatis CRACOVIENSIS RECTORIS Vigilantissimi.

Summus honor Domino maneat, laus, summa Mariæ.